

1530 decori restitutas fuisse, quam egregia, atque obnixa cunctorum civium voluntate. An vero ea de re nunciari, quæ nihil momenti vel ad dignitatem, vel ad utilitatem Reipublicæ conferat? exteros homines nonnunquam insigniorum urbium antistites creatos, multa sapius agere, quæ a Reipublicæ rationibus magnopere sejuncta sint, quod alteri opes suas, atque fortunas, non Senatui, cui maxime oporteret, acceptas referant: ingentibus divitiis, quibus etiam supra vota abundarent, ad eorum gratiam promerendam facile abuti, quorum opera dignitatis aliquam sibi accessionem spondeant: a Senatu non modo cives, in patriam natura propensos, sed sanctissimos viros præterea deligi, vitæ integerrimæ exemplis apud omnes in honore habitos. Quid vero? Reges alios, ac Principes civitatibus suis Sacerdotes omnes majores impertire, Senatum Venetum eo tantum privari, quod continuis temporibus majores obtinuissent? irent nunc, Pontificisque minis a tuendis publicis rationibus deterrentur: in dies majora, atque acerbiora toleranda. An vero timendum esse, ut rursus bellum hac de causa non exardescat? neminem pacem magis, quam Clementem exoptasse, bellorum pericula maximo cum damno suo expertum, nunquam eodem se revolvitur passurum. Contra vero qui altius rem inspiciebant, difficile admodum, atque arduum opus esse, a proposita revocare sententia Clementem arbitrabantur: nec e Republica censebant, simultatum, atque odii semina in illius animo ferere, cum ad præsentem Italiæ statum retinendum nihil magis, quam Reipublicæ cum Pontifice amicitiam conducere posse putarent: in tot maximorum, ac præpotentium Principum ambitiosis cogitationibus nihil tutius esse, quam hoc uno, veluti fortissimo munimento, inniti. Neque deerant, quibus non satis probaretur, ecclesiasticarum dignitatum, & opum spe civium mentes ali, qua nonnunquam deliniti & capti, ardorem, atque studium, quo patriam complecti oportuisset, sensim remitterent: moderato victu, ac privatorum divitiis auctam esse Rempublicam, in qua ornanda, & amplificanda omnes perpetuo insudarent, dum cives, quidquid gloriæ, quidquid dignitatum, quidquid opum foret, id omne non sibi, sed commodo publico compararent: retinendos priscorum sapientissimorum hominum mores, non